

45 Hoc verò gratuitum esse debet. Si enim datur pecunia, locatio: si res alia, contractus erit innominatus, do ut ut facias. V. l. 1. §. ult. l. si remunerandi. 10. l. Idemq; 10. §. Idem Labeo. l. salarium 7. D. h. tit.

Quaest. Heic quero: si quis procuratorem constituat ad agendum in iudicio, & promittat ei dimidiam fore litis, an procurator seu mandatarius mandati actionem habeat? Non habere dico. Nam haec actiones bonis moribus sunt contrariae. V. l. si remunerandi. §. Marius D. h. t.

46 Tum si quis pro me fideiusserit mandato meo, & soluerit creditori meo, eo nomine actionem mandati habet aduersum me. l. Qui fide. 53. D. h. t.

Quaest. Quid si pro nolente & vetante fideiusserim, num mandati actio est? Non est. Imò nec negotiorum gestorum. l. si pro te. 40. D. h. t.

Quaest. At si fideiussor pro absente fideiusserit & soluerit, num mandati actio ei competat? Adfirmo. Frenanda tamen haec aduersio videtur ita, ut si non antecesserit mandatum, negotiorum gestorum ei detur actio. l. Ex mandato 20. §. secus si antecesserit. l. Qui mutuam. 56. §. 1. D. h. t.

Quaest. Dubitatur quoq;: An fideiussor ante solutionem debiti hac actione experiri possit aduersus eum, pro quo fideiussit. Posse dicimus: si reus in solutione diu cessauit: si bona sua dissipat: l. Lucius 38. §. 1. D. h. t. Si id inter fideiussorem vel mandatarium & reum conuenit: Si creditor sit condemnatus: Si obtulerit pecuniam, & publice eam obsignatam deposuerit. l. Qui mutuam 56. §. 1. D. h. t. & l. Fideiussor 64. D. de fideiuss.

47 Nec verò hac actio mandatario tantum in mandatorem, sed etiam heredibus mandatarij in heredes mandatoris conceditur. §. Item si adhuc. Instituit.

Quaest. Quero: si eo mortuo qui tibi mandauerat, tu ignorans eum ex hominibus abijisse, executus fueris mandatum, an hoc mandati iudicio experiri possis. Posse te experiri Iustinianus dicit §. Item si Instituit. mandat. l. Inter causas 26. in pr. & §. 1. D. hic.